

David? Imo et fecit. Nam cum ei conviciaretur Semei filius Jemini, tacebat David <sup>1)</sup>: et quamvis septus armatis, non retorquebat convicium, non ultionem quaerebat, eo usque ut dicente sibi Sarviae filio quod vindicare in eum vellet, non permiserit. Ibat ergo tanquam mutus et humiliatus, ibat tacens: nec movebatur, cum vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriae mansuetudinis. Non ergo movebatur conviciis, qui abundabat honorum operum conscientia. Itaque is, qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque, qui contemnit injuriam, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.

QUOD PSALMUS TRIGESIMUS OCTAVUS NON SOLUM SILENTII LAUDE,  
SED ETIAM CONTEMPTU RERUM VALDE SIT MIRABILIS.

Neque improvide ad vos filios meos scribens, hujus psalmi prooemio usus sum. Quem psalmum propheta David sancto Idithum canendum dedit, ego vobis tenendum suadeo, delectatus ejus sensu profundo et virtute sententiarum. Advertimus enim ex his, quae breviter libavimus, et silendi patientiam, et opportunitatem loquendi, et in posterioribus contemptum divitiarum, quae maxima virtutum fundamenta sunt, hoc psalmo doceri. Dum igitur hunc psalmum considero, successit animo de officiis scribere. De quibus etiam si quidam philosophiae studentes scripserunt, ut Panaetius et filius ejus apud Graecos, Tullius apud Latinos, non alienum duxi a nostro munere, ut et ipse scriberem. Et sicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego quoque ad vos informandos filios meos. Neque enim minus vos diligo, quos in evangelio genui, quam si conjugio suscepissem. Non

1) II. Reg. 16.